

Dividitur verò Insula universa in totidem partes, quot sūt Mundi cardines. Orientalem vocant *Austlendingafjordung*, Occidentalem *Westlendingafjordung*, Septentrionalem *Nortlendingafjordung*, Meridionalem *Snydlendingafjordung*. Urbibus carent, montes pro urbibus habentes. Fons hic qui fumigantis aquæ vitio nativam rei cuiuslibet originem demolitur: & quicquid fumi hujus exhalatione respergitur, in lapideæ naturæ duritiem transmutatur formi dumtaxat superstite. Est & fons pestilentis undæ, quem qui gustaverit, perinde ac veneno proster nitur. Sunt latices cerealis poculi proprietatem imitantes. Oceanus autem Septentrionalis in quo hæc Insula sita est, tantam Piscium copiam subministrat, tantamque Reipublicæ Islandicæ utilitatem præstat, ut non multorum Hominum, sed totius Insulæ salus & fortunæ inde pendere videantur: inde enim omnes aut vivunt, aut victum quærunt, familiasque sustentant. Hic si velim hujus Maris Piscium genera omnia recensere, tempus me deficiat. Aliquot verò rariora non abs re fuerit commemorare. Inter quæ Piscis *Nahual*: Hujus carnem si quis comedat, statim moritur: habetque dentem in interiori capitis parte prominentem ad septem cubitos. Hunc quidam pro Monocerotis cornu vendiderunt. Creditur venenis adversari. Quadraginta ulnarum longitudinem habet bellua. *Roider*, centum triginta ulnarum est, caret dentibus. Ejus caro esui accommodatissima gratissimâque, pinguedo multis morbis medetur. *Cetus Britannicus*, longitudine triginta ulnarum: dentibus caret, linguamque septem ulnarum habet. Est & maximum *Cætorum* genus quod raro apparet, Insule magis quam Piscis simile. Insequi minores Pisces præ corporis illâ immâni mole nequit, capit tamen illos suâ quâdam arte & astutiâ. Alius item piscis *Scantus valur* dicitur, totus carni-

lagineus, Raiæ aliquo modo similis: sed infinitis modis major, Insulæ speciem cum apparet, præ se fert, alis naves evertit. Sunt & *Seenaut*, Boves marini, colore griseo: & alii. Ad montes transeo Islandæ (inquit Georgius Agricola) tres sunt Montes elati in Cælum, quorum vertices perpetuâ nive cadent, radices sempiterno æstuant igne. Primus vocatur *Hecla*, alter *Crucis*, tertius, *Helga*, id est sanctus. Ab *Heclâ* non longè absunt fodinæ Sulphuris, pænè unicum Incolarum mercimonium, & vectigal Insulæ: Mercatores enim naves eo onustas evehunt. Mons ipse cum furit, ut horribilia tonitrua insonat, projicit ingentia saxa, Sulphur evomit, cineribus egestis omnia longè latèque complet, ut ad vicesimum lapidè terra colli non possit. Qui naturam causasque ejus incendii curiosius contemplaturi propius ad montem accedunt, facile unâ aliquâ latente voragine vivi absorbentur: nam & multæ sunt, & cineribus ita repletæ, ut nemo sibi cavere possit. Locum propterea vocant carcerem sordidarum animarum. Accedit huc, quod quum glacies soluta totos octo menses magnis molibus littori undique allidatur, horrendum sonum edat, quem Incolæ dicunt animarum esse ejularum & quiritationem. Eiusdem naturæ alius mons nomine *Helga*. Hic mons anno 1581, teste Iona, tanto fragore & tonitru ignes & saxa evehit, ut inde ad octoginta milliaria grandiores machinæ bellicæ explodi putarentur. Apud hunc vorago quædam, ubi spectra se offerunt, congressibus hominum tam manifesta, ut tanquam viventes accipiantur ab ignaris mortis illorum: nec deprehenditur error, prius quàm disparuerint umbræ. Sed hæc aut fabulosa sunt, aut certe Demonum ludibria, Ipse Ionas fabulosa putat. Crantzius Islandos specus plerumque habitare scribit, ad montium latera excavatis mansuunculis. Quod idem quo-

que